Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 531
Quelle:
Copyright:

cederet, Portuensi sanctique Marci Cardinalibus deducta, predictisque loco et modo portuensi episcopo sacro religiosoque fuit inuncta liquore, adeuntemque reginam summum Pontificem sacra benedictione ornari conspeximus. Erectaque cellulam asseriam ex priscorum ordine ingressa est. Erant enim due cellule in Petri basilica constitute. Altera que a dextris pone ampliorem capellam consedebat, regie maiestati fuerat instituta. Altera uero a sinistris regine dignitati fuerat indicata, interque celebrandum denuo summum pontificem celebrantem ad aram accessit Imperator, quem osculo pacis exceptum summus pontifex ense mundo enudatoque donauit, tamquam summi eternique principis militem, qui tuendam defendendamque Christi fidem apostoliceque sedis statum assumere non horreret, eodemque recepto in vaginam reposuit. Accinctusque eo Imperator a summo pontifice eundem euaginauit, quem vibratum repositorio lateri assistente proprijs manibus reclusit. Aureoque exinde dyademate manibus propriis summus pontifex eundem coronauit, ita ut eius cornua in mitre modum ad tempora uerterentur. Aiunt, hanc qui coronam cognouerunt, eam fore, qua Karolus magnus priscis temporibus fuit insignitus, quam nemini absque summi pontificis iussu expressaque sententia vertice gestare licitum est, vt hausimus. Cum vero sceptrum summus pontifex rotundumque malum, quod mundum Decii referebant, inque mundi forma insculptum aurea propriis manibus exhibuit, habitaque summi Pontificis benedictione, serenissimus cesar se coram argentea Christi infixi cruci figura detulit, Nonnullas ex more maiorum oraciones submissa uoce relaturus. Aderantque sacerdotes tocius celestis Imperii sue dignitati implorantes adiumenta. Dumque sic voce letanias sublimi concinerent, accessit Imperatrix, que a summo pontifice celebrante aurea corona coronata est. Completis tandem oracionibus, alter hanc, illam altera cellulam adiuere. Redeuntes postremo Imperator et Regina diuinaque communione a sanctissimo patre refecti eorum thalamos peciere. Celebratione autem exacta, sancti Petri templum relinquentes, tum summus Pontifex, tum Imperator solemnem ex more pluuialem uestem induti, equos ascensuri decliuiorem prograduum partem pecierunt; preibat etiam Indolis egregie Juuenis quidam ereos numos, nec multos, plebi dispergens, ceterisque quibus spectaculis insuetum ornacius digniusque spectaculum, sed tanta cesarea dignitate autoritateque munus dignissimum summi tandem autoritate pontificis equum ascendentis, ex prisco consuetoque ordine, staffam propriis tenuit manibus Imperator, pedesque ad summi pontificis loca iter nonnullis passibus commeauit, ascendens demum equum una uersus Adriani molem profecti sunt. Cum uero templum beate Marie transpontine deuenissent,